



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

28. Cap. De Peccato.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

timetur : idcirco magnâ semper fruitur
animi pace. Placet & reliquis , eò quòd
sibi uni displiceat.

Deum novisse & seipsum , scientia est
omnium scientiarum utilissima,

Quid prodest scire , quid in aere , quid
in elementis , & circa cœlorum motus
agatur , si , quid nos agamus boni in ter-
ris , prorsus ignoremus ?

Qui se & Deum rectè novit , is verè
perfectâque est præditus humilitate nec
audet cœlum intueri , sed eminùs stans
cum *Publicano* , suumque pectus percu-
tiens , ait : *Deus Propitius esto mihi peccatori.*

Is coram Deo aliquid esse incipit
qui seipsum reputat merum nihil,

CAPVT XXVIII.

DE PECCATO.

SI quis ex altâ turri tenui fune cœlum
inter & terram pendulum te teneret
cum omnimodâ dimittendi funem , atque
ad eò te conterendi potestate , ad iram
illum provocare nequaquam auderes.

Totus , à Deo dependes. Ipse omnium
perfectionum est aggregatio . tu porro
merum es nihil ; ipse te nunquam indiget

tibi in singula momenta illius auxilio opus est.

Manum ille si vel semel à te removeat, de te adum erit, & in nihilum ilicò recides. An non igitur audax & temerarius es, ac perfrictâ fronte, dum tantum Deum irritare, atque ad iram provocare, non reformidas?

Si Deus tritari posset, peccatum mortiferum vel unicum majorem ei afferret moerorem, quàm modò omnia omnium sanctorum bona opera illi afferunt gaudium.

Bona opera Deiparæ Virginis MARIAE, ceterorumque beatorum, quamvis in se maximi sint valoris, tamen comparata Deo tanquam nihilum reputari debent, eò quod hic sit infinitus, illi verò limitati; hic creator, illi res creatæ.

Deum honorare, ut par est, nemo valet, nisi homo, qui unà sit Deus.

Verùm enim verò, infinitam hanc Dei Majestatem ab homine irritari & contemni, à vili abjectoque terræ vermiculo, qui tot tantisque obstrictus beneficijs, amorem (si fieri posset) infinitum ei rependere deberet, hæc est injuria, quæ majus illi infert probrum, quàm omnes omnium Sanctorum virtutes afferre

afferre ei possint gloriam & honorem

Dignitas Majestatis offensæ peccati
mensura est, eoque culpa est gravior
quod major est excellentia læsæ Majestatis

Malitia igitur peccati mortalis infinita
est, eò quod Dei, qui illo contemnitur
excellencia sit infinita.

Quapropter nihil æquè formidare
detestarique nos oportet, ac peccatum

*Peccare, est inhonorare Deum, quod non
debet facere homo; etiamsi totum percat
quod Deus non est. inquit S. Augustinus.*

CAPVT XXIX.

*Quo animi sensu esse nos oporteat, quando
per Peccatum Deum amisimus?*

DEum peccando perdimus; an ulli
gravior jactura reperiri potest?

Non pauci, si quando lite, incendio
aliove adverso casu bonis temporalibus
priventur; ubi se inopiâ, tædio, alijsque
miserijs circumdatos vident, tantis
discruciant mœroribus, ut persæpè fra-
mentis impotes,

Quantus ergo concipiendus est mœro
de peccato commisso, quo infinitum
æternumque bonum amisimus?

Infel